

gat. l. l. 69. ff. de Condit. & demonstr. l. fin. de Condit. Instit. Quae sententia prevaleat, inter disputandum videbimus.

28. Subjectum transmissionis quae fit ratione iuitatis passivum, quod dixi esse ipsos Transmissarios, sunt heredum SUORUM heredes quicumque, tam SUI, quam extranei: Nam ad hos ratione iuitatis transmitti hereditatem luculenter apparet ex l. 19. §. 2. ff. de Cast. pecul. ubi hereditas comparatur ei, quod hereditati accessit. l. 9 ff. de iure fisci l. 8. C. de suis & Legit. hered. Ubi hereditas ad matrem transmittitur, quam dicere SUUM heredem esse, per delirum & ἄνοτον profecto esset. Ita sentiunt Angelus & Joh. Pirrh. in suis de SUItate Tractatibus. quos sequitur Gometz. d. l. p. 97. & 100. nec non Valq. d. l. §. p. 107.

29. Subjectum transmissionis, quae fit ratione sanguinis activum sunt quicumque, ex quibuscumque, ascenduntibus liberi, etiam ignorantes l. un. C. de his qui ante apert. Tab. ibi: sive se noverint scriptos heredes, sive ignoraverint. Sed gravis hic exoritur questio, num scilicet dicta l. un. pertineat etiam ad heredes SUOS, h. e. an quoque heredes SUI transmittant hereditatem ratione sanguinis? Quod in-
trepidè inficias eo contra Vasquium, cum SUI heredes non solum ad SUOS, sed & ad extraneos transmittere posse hereditatem, paulò antè demonstraverim: qui igitur queso possunt dici transmittere ratione sanguinis, cuius respectu transmissio fit ad solos descendentes posteros, qui non sunt SUI heredes, cum filiae & Neptes in d. l. transmittere hereditatem dicantur, quae certè carent suis heredibus, cum careant iure potestatis patriae. §. 10. I. de adopt. Audacter itaque dico, quicquid dicant alii, dicta l. un. pertinere tantum ad liberos, quorumcumque, ascendentiū sive descendat ex linea paterna, sive materna, sive legitimi & naturales simul, sive sint duntaxat naturales Nov 89. c. 12 & 15. cum & in his obtineat virtus & ratio sanguinis, sive existant adhuc in sacris paternis, sive non, puta, quando sunt emancipati, cum transmissio ex potentia sanguinis, de qua ibi sermo, fundet sese in virtute & ratione sanguinis, cuius iura cum sint naturalia, per inventum Juris Civilis Rom. quod hoc loco est emancipatio, tolli nequeunt. l. 8. ff. de reg. Jur. Imò eadè equitas naturalis, quae est causa impulsiva istius constitutionis pariter militat in Emancipato. Obstare tamen ei, quod diximus videtur mentio in d. l. un. facta patris. Verum responderi poterit, de casu facta Emancipationis id debere accipi, vel si hoc non placet, dicendum erit, incidenter duntaxat mentionem fieri patris, nam saepe in Constitutio-
nibus